

Merseburgensis dyocesis recognoscimus —, quod, cum causa seu controversia super quadam decima de grangia dicta Hofchin solvenda haberetur inter nos parte ex una et religiosos dominos abbatem et conventum monasterii in Buch eiusdem ordinis Cysterciensis Mynsensis dyocesis parte ex altera, compromisimus et maturo interveniente consilio consensimus in venerabiles patres ac dominos abbates dominum Heynricum de Porta et dominum Heynricum de Doberluch tamquam in arbitros et iuris diffinitores, dantes eisdem plenam potestatem decidendi ac diffiniendi simpliciter et de plano sine etiam litis strepitu iure medio seu via iuris causam premissam et facienda omnia et singula, que huiusmodi cause materia requirit, quovismodo; et si forte dicti patres diversis negotiis occupati ad experiendum de iure huiusmodi se ad diversa loca propriis in personis commode transferre nequiverint, quilibet eorum per alium fide dignum et sufficientem de iure dicte cause poterit experiri, promittentes nichilominus bona fide sub pena perditionis prefate cause et duarum carratarum cervisie Nuwenburgensis dictis patribus per nos solvendarum, quod diffinitionem ac pronunciacionem iuris in causa premissa absque contradictione ratam et gratam habebimus atque firmam. — Datum anno domini m° ccc° lxxii° dominica infra octavam ascensionis domini nostri Iesu Christi.

## 358.

*Heinrich, Abt von Dobrilugk, erklärt, daß er mit dem Abte von Pforta das übertragene Schiedsrichteramt in dem Streite der Klöster Buch und Nimeschen (vergl. No. 357) annahme und bis zum künftigen 8. September den Schiedsspruch den Parteien eröffnen werde.* Dobrilugk, 1372 Juni 1.

*Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 4027. Das wohlerhaltene S. des Abtes an Pergamentstreifen.*

*Ann.: Der Schied selbst ist nicht vorhanden.*

Universis Christi fidelibus, maxime hiis, quos subscripta concernunt, pateat hoc scripto, quot nos | frater Heinricus abbas Dobirlucensis ordinis Cisterciensis Misnensis dyocesis arbiter | una cum venerabili in Christo patre ac domino Heinrico abbate in Porta litis et contro|versie \*mote seu movende\*) inter venerabilem dominum abbatem et conventum monasterii in Buch ex una nec non religiosam dominam abbatissam et conventum sanctimonialium in Nymeschen prope Grymis parte ex altera super quadam decima annone annuatim solvenda de grangia dicta Hofegin prope monasterium Nemeschen pre- dictum ob devotam instanciam parcium utrarumque maioraque pericula expensarum precavenda volumus et promittimus per presentes huiusmodi prescripte litis et controversie brigam decidere sine strepitu iudiciario racione previa, invocatis eciam ad huiusmodi negocium sanis consiliis et informacionibus iurisperitorum, cuius videlicet litis decisionem seu iuris diffinicionem partibus prescriptis pronunciamus ante festum nativitatis gloriose virginis Marie proxime affuturum. — Datum Dobirluch anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo secundo in die sancti Nycomedis martyris.